



Andreas Coloniae Agrippinorum honestis parentibus natus & educatus fuit, circiter annum reparatae salutis humanae millesimum quingentesimum uicesimum quintum. Hic cum optima indole esset praeditus, discendis literis destinatur, & bonis praceptoribus educandus traditur. Cum autem prima literarum fundamenta in patria & Germania egregie iecisset, studiorum amore percitus etiam peregrinas nationes inuisere statuit. Itaque in Italiam & Galliam profectus, aliquantisper ibidem mansit, & Iurisprudentiae operam dedit. In eo studia ita uersatus est, ut insignia Doctoralia omnium applausu adeptus fuerit. Po-

stea in patriam reuersus libris inhæsit, & in forensibus se exercendo magnum rerum usum sibi comparauit. Id quum Treuerensis antistes cognouisset, eum liberali stipendio oblato ad se uocauit, atque suo nomine in Camera Imperiali assidere iussit. Eam functionem Andreas summa animi moderatione suscepit, & res sibi commissas singulari dexteritate perfecit. Itaque ob praclaras corporis & animi uirtutes omnibus innotuit. Is etiamnum Spiræ degit, & cum alijs doctissimis & prudentissimis uiris unice eò respicit, ut ex æquo omnibus ius dicatur, & pax per Germaniam retineatur. Anon.